

Kreis
Steinfurt

S 182

1254 (1253) März 23 Münster.

[52
182]

Die freien Gebrüder von Rheine begeben sich als Wächszünfte in den Schutz des Hospitalhauses zu Steinfurt.

In nomine sancte et individue Trinitatis; amen. Frater Bernardus, miseratione divina magister domus hospitalis beati Johannis Jherosolimitani in Steinvordia, universis presentes litteras inspecturis devotas orationes in Christo. Quoniam humana memoria labilis est et cito transit, cautum est et providum ea, que ad futurorum cognitionem transferentur, firmo litterarum robore perhennari. Quocirca tam future quam presentis etatis hominibus innotescat, quod Johannes, Gerhardus et Bernardus fratres, liberti de Rene, pia ac provida intentione ducti una voluntate cum consensu suorum coheredum bona sua sita in parrochia ecclesie in Rene, que ipsis proprietatis iure pertinuerant, in agris, nemoribus, pratis, pascuis ac aliis suis quibuscunque attinentiis domino Jhesu Christo, beate Virgini eius genitrici et domui hospitalis beati Johannis baptiste in Steinvordia libere et absolute contulerunt hac de causa, videlicet ut ipsos nostre domus fratres ab iniuria et violenciis, quas ipsi ex parte comitis de Tekeneburg ac aliorum frequenter sustinent indebite, defensarent. Facta igitur collatione supradicta, ego nostrorum habito fratrum consilio eadem bona cum omnibus prefatis ipsorum pertinenciis Gerharo, Bernardo, Hinrico, Bernardo, Ascelen et Ascelen sub annua porrexi pensione, in qua absque ulla inquietudine de herede ad heredem eorumdem successive perpetuo devolventur. Pensio siquidem talis est: scilicet duodecim mesure, que vulgariter scepel dicuntur, tritici secundum mensuram, que Rene habetur, insuper unum scepel tritici eiusdem mesure, quod solvent nomine cerocensualis census, ut ex hoc nostre domus fratres occasionem habeant sepius nominatos tanto liberius tantoque inculpabilius defensandi; hiis dumtaxat exceptis, prememorati cum suis heredibus omnino liberi permanebunt. Ut autem supradicta robur debitum optineant sueque semper ostendant originem veritatis, presens carta conscripta est et domus nostre sigillo consignata. Premissa etiam verba scilicet: „omnino liberi permanebunt“ ita intelligi debent et suppleri, quod nichil ab ipsis ultra id, quod predictum est, in ipsorum morte seu in vita penitus exigetur. Acta sunt hec Monasterii in figura iudicii, presentibus hiis: Godefrido et Hermanno sacerdotebus, Mauritio, Hermanno et Hinrico, nostris fratribus, Bertrammo plebano de Rene; Hinrico milite de Leeden, Brunone et Lutberto fratribus de Hurnecampe; item civibus Monasteriensibus: Gerharo milite de Olfnen tunc iudice, Johanne

Nicine, Godefrido dicto Vilttere, Lutberto Clerico, Johanne Saxone, Gotscalco de Beveren et aliis quam pluribus. Anno Domini M^occ^oL^{mo} tertio, feria secunda proxima post dominicam, qua cantatur Letare Jherusalem.

Orig. Cicel. VIII. Ren. II. 1. b. 27. 33. 7.